INSTITUTIONES JURIS IMPERII circa ſacra:

ex

HUG. GROTIO

De

Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra deſumptæ.



AMSTELODAMI.
Apud Petrum *vanden* Berge. Anno 1668.

Institutionum Juris Imperii circa Sacra.

Cap. I.

Summis Potestatibus imperium circa sacra competere.

QUæritur I. *Quid hoc loco per Potestatem intelligitur?* R. Non ipsum jus & imperium: sed persona, aut cætus, jus illud & imperium habens.

II. *Cur additur, aut cætus?* R. Quia hoc nomine non tantum veniunt reges propriè dicti, sive absoluti: sed & Optimates, in Aristocratia: sive illi senatus, sive Ordinum, sive alio quo vocabulo nominentur.

III. *Cur dicitur Potestas summa?* R. Quia ea intelligitur quæ non habet superiorem inter homines: & imperium quod soli Deo subjicitur.

IV. *Quâ significatione sumitur hic imperium?* R. Eâ quæ etiam includit jurisdictionem: atque complectitur jus ju-

bendi, prohibendi, permittendi.

V. *Ad quæ extenditur hoc imperium?* R. Ad ſacra & profana.

VI. *Quomodo hoc probatur?* R. Ex unitate materiæ circa quam verſatur, & univerſalitate finis.

VII. *Quomodo ex unitate materiæ?* R. S. Scripturæ auctoritate, & ratione.

VIII. *Quomodo auctoritate?* R. Quia ſumma Poteſtas à Paulo dicitur Dei miniſtra, vindex ad iram cuicunque malum facienti. Rom. XIII. 4. Prov. XX. 8. rex dicitur ventilare omne malum. mali autem nomine ita indefinitè aut univerſaliter ſumpto, etiam id omne comprehendi debet univerſaliter quod circa ſacra committitur.

IX. *Quomodo deinde?* R. Quia Joſ. I. 17. populus pollicetur Joſuæ obedientiam in omnibus, quemadmodum & Moſi paruerat. & Col. III, 20. filii jubentur parentibus obedire in omnibus: ergo tàm ſacris quàm profanis.

X. *Quomodo præterea?* R. Quia Rom. XIII. I. Apoſtolus omnem animam ſummis Poteſtatibus ſubjicit: ergo & ſacrorum miniſtros, apoſtolos, evangeliſtas, prophetas, ita ut nemo ab hac univerſalitate veniat excipiendus.

XI. *Quomodo univerſalitas illa probatur*

ratione? R. Si quid summæ Potestatis imperio eximeretur, id aut nulli humano imperio subjiceretur, aut alterius alicujus quàm summæ Potestatis imperio: at absurdum utrumque.

XII. *Quid si dicatur nulli?* R. Hoc probandum esset. deinde hoc concesso, summa rerum confusio induceretur: cum tamen Deus omnia, naturalia & moralia, certo ordine disposuerit.

XIII. *Si dicatur alterius alicujus imperio subjici?* R. Tunc in uno populo plures essent summæ Potestates: quod repugnat summitati. summum enim quod in civili corpore imperet, non potest esse nisi unum; si non naturâ, tamen instituto: & in unâ republ. non nisi unus summe imperans; sive sit cætus, sive persona.

XIV. *Quid si summe imperantes dicantur esse plures, etiam ut plures?* R. Tunc esse possent plurium istorum imperata contraria. cum tamen naturæ repugnet obligatio aut coactio contraria circa idem.

XV. *Sunt tamen diversæ actiones, judiciales, militares, ecclesiasticæ.* R. Non tamen hujus diversitatis respectu summum imperium dividi potest. alias enim idem homo, à diversis diversum jussus, parere teneretur omnibus: aut ordo

 erit

erit inter imperantes; & alter altero ſuperior, cui cedet.

X V I. *An non imperium dividitur, cum reges quidam aliquid imperare nequeunt, niſi conſenſus ordinum acceſſerit?* N. Tunc enim ſummum imperium non eſt penes regem & ordines, diviſim. ſed aut penes ſolos ordines; aut penes id corpus quod rex & ordines ſimul conſtituunt.

X V I I. *Quomodo hac imperii extenſio ad ſacra probatur ex univerſalitate finis?* R. Quia ſumma Poteſtas eſt miniſtra Dei ad bonum qualecunque: ut ſcilicet vitam tranquillam degamus, in omni pietate & honeſtate: in quo vera civitatis felicitas conſiſtit. adeoque vis ſummæ Poteſtatis ac imperium ambitu ſuo ſacra quoque complectitur. omnia enim ad hunc finem tendentia ſacrorum nomine appellantur.

X V I I I. *An jus illud vindicari poteſt directè à S. ſcriptura auctoritate?* A. Quia uſus imperii circa ſacra, in quibus religio conſiſtit, exigitur à regibus, quà talibus. reges enim, quà reges, jubentur obſervare totam legem divinam: ſervire domino: Chriſtum oſculari. Deut. XVII. 19. Joſ. 1. 18. Pſalm II. 12.

X I X. *Quomodo igitur Deo ſerviunt, &c.* R. Et qua homines ſunt, vivendo ſecundum

dum præcepta divina: & in quantum ſunt reges, bona jubendo, & mala prohibendo; etiam ad religionem pertinentia. quæ ſcilicet facere non poſſent, niſi eſſent reges.

XX. *An idem probatur more veteris eccleſiæ, & factis piorum Imperatorum?* A. Ex quo enim imperatores facti ſunt Chriſtiani, res eccleſiæ ab ipſis dependit: eccleſia dicta eſt eſſe in republicâ: imperatores & reges dicti ſunt religionis & fidei auctores, epiſcopi, gubernatores, vicarii Dei, religionis rectores.

XXI. *An idem ſentiunt eccleſiæ reformatæ?* A. Hoc enim ex earum confeſſionibus conſtat, ac præcipuorum theologorum ſcriptis.

XXII. *An & ſcriptores politici?* A. Præcipui enim omnes, non modò Chriſtiani, ſed & gentiles, hoc jus in ſacra non modò partem ſummi imperii faciunt; ſed & præcipuam.

XXIII. *Quid juxta hunc finem præcipuum notandum?* R. Religionem plurimum quoque facere ad externam felicitatem, & concordiam civium. habet enim pietas promiſſa etiam vitæ præſentis. imò religionis natura talis eſt ut homines efficiat placidos, obſequioſos, amantes patriæ, juris & æqui retinen-

tes. unde felicitas reipubl.

XXIV. *Cur praterea summa Potestas imperium in sacra non potest deferere?* R. Quia hoc esset reipubl. periculosissimum, nam sacerdotum quidam eo sunt genio, ut territent, ni pareant. & multitudo vana religione capta, melius vatibus quàm ducibus paret.

Cap. II.

Distincta esse imperium in sacra, & sacram functionem.

I. *Imperium & functio ei cui imperatur, an sunt idem?* N. Imperantis enim non est imperata facere: sed imperando efficere ut alteri imperata ab eo fiant.

II. *Quanam functiones imperio summo subsunt?* R. Omnes omnino. sed aliæ & natura & ordine, ut effecta à caussis suis perpetuo emanantia; aliæ solo ordine.

III. *Quanam subjacent priore modo?* R. Quæ imperium aut proprie dictam jurisdictionem continent, ut prætura,

præ-

præsidis officium, & reliqua magistratuum munia.

IV. *Quænam solo ordine?* R. Functio medica, philosophica, agricultura, mercatura, aliæque ab imperante ordinandæ.

V. *An pastor ecclesia dici potest summarum potestatum vicarius?* N. Quà talis. sic nec medicus, nec philosophus &c.

VI. *Quomodo igitur?* R. Quatenus præter pastorale munus aliquam accepit jurisdictionem.

VII. *An in una persona consistere possunt imperium & sacra functio?* A. Naturaliter; seposita lege civili, & impedementis extrinsecus advenientibus. quemadmodum idem rex esse potest, & philosophus &c.

VIII. *Quid ante Mosis legem factum?* R. Patres familiarum & regni quandam imaginem gesserunt, & functi sunt sacerdotio: cum homines domestico magis quam civili imperio regerentur. Melchisedechus quoque idem & regnum obiit, & sacerdotium. qui mos & cæteris gentibus fuit.

IX. *Verum annon patres illi & reges sacerdotium illud acceperunt speciali quodã titulo?* R. Non omnes, sed jure paterno ac regio.

ſeclusâ enim lege poſitivâ; ad ſacerdotem conſtituendum nihil tale requiritur.

X. *Quid lex divina poſitiva circa hoc negotium conſtituit?* R. Lege Hebræis datâ non cuivis è populo ſacerdotium delatum: ſed ſolis Aaronidis.

XI. *Cur hoc?* R. Deus non tantum pontificatum ab imperio regio ſegregavit, ſed & ei ſubjecit: ne nimium defixi hærerent animi in ſummâ ſacerdotii dignitate, cum regiâ majeſtate conjunctâ.

XII. *An non tamen poſt inſtitutum ſacerdotium leviticum, aliquæ vetuſtiſſimi moris reliquiæ manſerunt?* A. Nam Paſchatis mactatio patribus familiarum relicta eſt, & Circumciſio non deſideravit ſacerdotis miniſterium; ſed à quovis ejus rei perito fuit adminiſtrata.

XIII. *Præcones N. Teſtamenti an ſpeciatim appellandi ſacerdotes?* R. Chriſtus ipſe & Apoſtoli ſemper ab eo loquendi genere abſtinuerunt.

XIV. *An ſub lege Chriſtianâ ſummum imperium & paſtorale munus rectè coaleſcunt in unam perſonam?* N. Quia tam grave ac difficile hoc eſt ut totum hominem deſideret. adeoque vetat Apoſtolus 2. Tim. II. 4. Chriſto militantem negotiis ſeculi implicari. imo alios plane mores officium regis poſtulat, alios paſtoris.

adeo-

adeoque utrumque ab uno homine sustineri nequit commodè, & pro decoro, ac sine desultoriâ levitate.

XV. *Reges tamen dicti sunt pastores, episcopi, sacerdotes, pontifices, &c.* R. Quia scilicet hæc munia in eo conveniunt, quod quæ pastorum cura est unica; ea summarum potestatum sit præcipua, ut scilicet divina recte ordinentur.

XVI. *An regibus recte tribuitur potestas spiritualis, & imperium spirituale?* A. Sumpto nomine non ab agendi modo, sed ab objecto spirituali, religione.

Cap. III.

Quousque conveniant sacra & profana, quoad jus imperandi.

I. QUomodo *actiones internæ & externæ sunt materia humani imperii?* R. Hæ ut materia primaria: illæ ut secundaria; ac tantum propter has, atque cum his comitanter.

II. *Quotuplices sunt actiones, antequam de iis humano imperio aliquid ordinetur?* R. Duplices, moraliter indefinitæ, aut definitæ: & hæ vel debitæ, vel illicitæ.

III. *Quænam definita sunt, respectu sum-*

ma Potestatis? R. Eæ tantum quæ suâpte naturâ sunt debitæ, aut illicitæ; aut quæ tales efficiuntur imperio divino.

IV. *An actus aliqui à summâ Potestate imperari nequeunt?* A. Ji scilicet qui repugnant juri naturali, aut divino positivo.

V. *An evangelium, ministerium, sacramenta subjacent humano imperio?* N. Verbi enim prædicatio & sacramentorum exhibitio prohiberi nequeunt. nec forma ministerio verbi aut sacramenti præscripta mutari, nec nova fidei capita condi; aut novi Dei cultus, novaque sacramenta institui.

VI. *Nonne tamen aliqui actus imperii circa hæc versantur?* A. Nam summæ Potestatis est efficere ut à Deo imperata fiant commodè ac liberè: eique fini amovere impedimenta, & concedere adminicula, utque fiant decenter: adeoque circumstantias loci, temporis, & modi præscribere. materiam quoque & occasionem subtrahere vetitis: pœnisque propositis homines ad ea adigere quæ Deus jubet, & à vetitis absterrere.

VII. *Quid potest summa Potestas circa actiones à Deo non definitas?* R. Eas definire in alteram partem: non tantum in profanis, sed etiam in sacris.

VIII. *Quænam huc referenda?* R. Munera.

nera utilia instituere: templa exstruere: modum præscribere pastorum electioni, synodis habendis, ordini inter pastores servando, alienationi rerum sacris usibus dicatarum.

IX. *Atqui hoc pacto summæ Potestati competeret suprema gubernatio in ecclesiasticis?* R. Omnino competit: ut & in omnibus aliis. ita tamen ut ei fas non sit quidquam decernere contra fidei ac religionis regulas, à Deo traditas: aut in cæteris contra perpetuam æquitatis normam.

X. *Si verò summa Potestas hos limites excesserit?* R. Nemo obligatur ad magis obediendum homini quam Deo.

XI. *Si igitur eo nomine vis ingruat, an licet vim vi opponere?* N. Sed sola restat patientiæ gloria. soli enim summæ Potestati jus armorum datum est à Deo. idque Christi, Apostolorum, omniumque Christianorum monitis & exemplis probatur.

XII. *At verò an non potestates inferiores & subordinatæ resistere possunt Potestati summæ?* N. Quia illæ ipsæ huic subjiciuntur; & omne illarum jus ab hujus mandato dependet.

XIII. *Armorum tamen in reges sumptorum varia sunt exempla.* R. Sed damnanda, si reges fuerint absoluti, & proprio jure imperantes.

XIV.

XIV. *Si autem adstricti fuerint legibus positivis, & senatus alicujus aut ordinum decretis?* R. In tales arma justa sumi potuerunt, ex sententiâ optimatum & superiorum.

XV. *Si summa Potestas oppugnetur eò quòd veram tueatur religionem, an imperium suum, vitamque & fortunas civium juste defendit?* A. Perinde enim est religionis, an alio obtutu vim ac injuriam patiatur. neque tenetur ad alterius arbitrium religionis usum dimittere.

CAP. IV.

Solvuntur quæ contra summarum Potestatum imperium circa sacra objici solent.

I. AN *non summarum potestatum jus imperii circa sacra diminuitur, eo quod pastorale munus à Christo sit institutum; & ab eodem datæ regulæ: non verò à summis Potestatibus. quodque pastores eatenus non sint imperantium vicarii?* N. Quia & potestas patria ac maritalis imperio summo subjacet: quamvis originem suam & jus à Deo habeat. medici quoque, mercatores, agricolæ, opifices non sunt vicarii summarum Potestatum; nec ab his fluunt il-

illorum functiones: & tamen earum imperio subsunt.

II. *Magistratus verò non est de essentia ecclesiæ?* R. Imo nec de essentia medici, mercatoris, agricolæ, opificis, aut singulorum hominum: quos tamen omnes subditos esse Potestati supereminenti, & ratio docet, & Apostoli auctoritas.

III. *Rex verò est intra ecclesiam, non supra: & ecclesiæ subjicitur Es.* XLIX, 23. R. Hoc loco agitur de honore Christi proprio. ecclesia verò nihil aliud est quam populus fidelis. rex autem verus toto populo superior est, etiam quà fideli. quemadmodum autem pater suæ familiæ imperat, fideli aut infideli: ita religio recta populi de summæ Potestatis jure nihil imminuit.

IV. *An non reges dicuntur servi ecclesiæ?* N. Sed quidem inservire, & utilitatibus ecclesiæ consulere. Saul nunquam dictus est servus Israëlis: sed ipse populus fidelis, & ipsa ecclesia Israelitica servus Saulis. & Sauli servus Abimelec sacerdos: & pontifex Sadocus servus Davidis ac Salomonis.

V. *Sacra tamen pastorum functio circa reges ipsos etiam versatur.* R. Imo & circa eos versantur mercatores, agricolæ, pastores, coqui, vestitores aliique, medicus ægro-

ægroto regi præſcribit pharmaca, chirurgus eum ſecat, philoſophus inſtruit, conſiliarius monet, etiam quà regem. hi tamen omnes eorumque functiones ſubjiciuntur legibus humanis, ac ſummo imperio.

V I. *Chriſto tamen ſoli eſt imperium, nullius opera vicaria deſideranti.* R. Sicut providentia Dei univerſalis cunctis diſponendis & exſequendis ſufficit; & tamen ad conſervandam hominum ſocietatem, vicariis utitur ſummis Poteſtatibus, ideo dictis diis: ita & ſpecialis Chriſti providentia, pro eccleſiâ excubans, vicarias ſibi adſciſcit eaſdem poteſtates, verę fidei patronas, Chriſtum oſculantes.

V I I. *An non è ſacra ſcriptura & hiſtoriâ vetere conſtat eccleſiæ tribui imperium, divino jure conceſſum?* N. Imperii enim inſtrumentum eſt gladius, at eccleſiæ nulla ſunt arma carnalia, ſed gladius ejus tantum eſt ſpiritualis, verbum ſcilicet Dei.

V I I I. *Quale igitur regimen ei concedendum?* R. Conſtitutivum tantum, quod eſt ex conſenſu: quo definire quædam & conſtituere potuit, ex communi placito; cui refragari nemo ſine culpâ poteſt.

I X. *An hoc regimen ſubeſt regimini imperanti?*

ranti summarum Potestatum? A. Quia non potest quidquam constituere aut facere contra imperium summarum Potestatum. huic enim omnem animam subjectam vult Apostolus Rom. XIII.

X. *An sacrorum ministris imperium debetur divino jure, ex ipsâ ministerii institutione & naturâ?* N. Quinimo tale jus quale Potestatum est omne omnino illis adimitur.

XI. *An ipsis competit imperium coactivum?* N. Nam omnis coactionis usus ipsis à Paulo interdicitur. adeoque errantem nequeunt vi reducere; sed tantum persuadere ut ad rectam fidem revertatur.

XII. *An obligativum?* N. Christus enim ipse negat suum regnum esse de hoc mundo; aut se judicem constitutum. ideoque ministri dicuntur legati, nuncii, præcones: utpote quorum munus sit imperium alterius notum tantum facere; non autem suo imperio quemquam obligare.

XIII. *Quale igitur est eorum regimen?* R. Merè suasorium ac declarativum.

XIV. *Peccata tamen retinere dicuntur ac remittere.* R. Id nihil aliud est quàm retenta aut remissa declarare.

XV. *An hoc derogat summarum Potestatum im-*

bendi, prohibendi, permittendi.

V. *Ad quæ extenditur hoc imperium?* R. Ad sacra & profana.

VI. *Quomodo hoc probatur?* R. Ex unitate materiæ circa quam versatur, & universalitate finis.

VII. *Quomodo ex unitate materiæ?* R. S. Scripturæ auctoritate, & ratione.

VIII. *Quomodo auctoritate?* R. Quia summa Potestas à Paulo dicitur Dei ministra, vindex ad iram cuicunque malum facienti. Rom. XIII. 4. Prov. XX. 8. rex dicitur ventilare omne malum. mali autem nomine ita indefinitè aut universaliter sumpto, etiam id omne comprehendi debet universaliter quod circa sacra committitur.

IX. *Quomodo deinde?* R. Quia Jos. I. 17. populus pollicetur Josuæ obedientiam in omnibus, quemadmodum & Mosi paruerat. & Col. III. 20. filii jubentur parentibus obedire in omnibus: ergo tàm sacris quàm profanis.

X. *Quomodo præterea?* R. Quia Rom. XIII. I. Apostolus omnem animam summis Potestatibus subjicit: ergo & sacrorum ministros, apostolos, evangelistas, prophetas. ita ut nemo ab hac universalitate veniat excipiendus.

XI. *Quomodo universalitas illa probatur*

ratione? R. Si quid summæ Potestatis imperio eximeretur, id aut nulli humano imperio subjiceretur, aut alterius alicujus quàm summæ Potestatis imperio: at absurdum utrumque.

XII. *Quid si dicatur nulli?* R. Hoc probandum esset. deinde hoc concesso, summa rerum confusio induceretur: cum tamen Deus omnia, naturalia & moralia, certo ordine dispofuerit.

XIII. *Si dicatur alterius alicujus imperio subjici?* R. Tunc in uno populo plures essent summæ Potestates: quod repugnat summitati. summum enim quod in civili corpore imperet, non potest esse nisi unum; si non naturâ, tamen instituto: & in unâ republ. non nisi unus summe imperans; sive sit cætus, sive persona.

XIV. *Quid si summe imperantes dicantur esse plures, etiam ut plures?* R. Tunc esse possent plurium istorum imperata contraria. cum tamen naturæ repugnet obligatio aut coactio contraria circa idem.

XV. *Sunt tamen diversæ actiones, judiciales, militares, ecclesiasticæ.* R. Non tamen hujus diversitatis respectu summum imperium dividi potest. alias enim idem homo, à diversis diversum jussus, parere teneretur omnibus: aut ordo

 erit

erit inter imperantes; & alter altero superior, cui cedet.

X V I. *An non imperium dividitur, cum reges quidam aliquid imperare nequeunt, nisi consensus ordinum accesserit?* N. Tunc enim summum imperium non est penes regem & ordines, divisim. sed aut penes solos ordines; aut penes id corpus quod rex & ordines simul constituunt.

X V I I. *Quomodo hæc imperii extensio ad sacra probatur ex universalitate finis?* R. Quia summa Potestas est ministra Dei ad bonum qualecunque: ut scilicet vitam tranquillam degamus, in omni pietate & honestate: in quo vera civitatis felicitas consistit. adeoque vis summæ Potestatis ac imperium ambitu suo sacra quoque complectitur. omnia enim ad hunc finem tendentia sacrorum nomine appellantur.

X V I I I. *An jus illud vindicari potest directâ S. scriptura auctoritate?* A. Quia usus imperii circa sacra, in quibus religio consistit, exigitur à regibus, quà talibus. reges enim, quà reges, jubentur observare totam legem divinam: servire domino: Christum osculari. Deut. xvii.19. Jos. 1. 18. Psalm II. 12.

X I X. *Quomodo igitur Deo serviunt, &c.* R. Et qua homines sunt, vivendo secundum

dum præcepta divina: & in quantum sunt reges, bona jubendo, & mala prohibendo; etiam ad religionem pertinentia. quæ scilicet facere non possent, nisi essent reges.

XX. *An idem probatur more veteris ecclesiæ, & factis piorum Imperatorum?* A. Ex quo enim imperatores facti sunt Christiani, res ecclesiæ ab ipsis dependit: ecclesia dicta est esse in republicâ: imperatores & reges dicti sunt religionis & fidei auctores, episcopi, gubernatores, vicarii Dei, religionis rectores.

XXI. *An idem sentiunt ecclesiæ reformatæ?* A. Hoc enim ex earum confessionibus constat, ac præcipuorum theologorum scriptis.

XXII. *An & scriptores politici?* A. Præcipui enim omnes, non modò Christiani, sed & gentiles, hoc jus in sacra non modò partem summi imperii faciunt; sed & præcipuam.

XXIII. *Quid juxta hunc finem præcipuum notandum?* R. Religionem plurimum quoque facere ad externam felicitatem, & concordiam civium. habet enim pietas promissa etiam vitæ præsentis. imò religionis natura talis est ut homines efficiat placidos, obsequiosos, amantes patriæ, juris & æqui retinen-

tes. unde felicitas reipubl.

XXIV. *Cur præterea summa Potestas imperium in sacra non potest deferere?* R. Quia hoc esset reipubl. periculosissimum, nam sacerdotum quidam eo sunt genio, ut territent, ni pareant. & multitudo vana religione capta, melius vatibus quàm ducibus paret.

CAP. II.

Distincta esse imperium in sacra, & sacram functionem.

I. IMperium & *functio ei cui imperatur, an sunt idem?* N. Imperantis enim non est imperata facere: sed imperando efficere ut alteri imperata ab eo fiant.

II. *Quænam functiones imperio summo subsunt?* R. Omnes omnino. sed aliæ & natura & ordine, ut effecta à caussis suis perpetuo emanantia; aliæ solo ordine.

III. *Quænam subjacent priore modo?* R. Quæ imperium aut proprie dictam jurisdictionem continent. ut prætura, præ-

præſidis officium, & reliqua magiſtratuum munia.

IV. *Quænam ſolo ordine?* R. Functio medica, philoſophica, agricultura, mercatura, aliæque ab imperante ordinandæ.

V. *An paſtor eccleſiæ dici poteſt ſummarum poteſtatum vicarius?* N. Quà talis. ſic nec medicus, nec philoſophus &c.

VI. *Quomodo igitur?* R. Quatenus præter paſtorale munus aliquam accepit jurisdictionem.

VII. *An in una perſona conſiſtere poſſunt imperium & ſacra functio?* A. Naturaliter; ſepoſita lege civili, & impedementis extrinſecus advenientibus. quemadmodum idem rex eſſe poteſt, & philoſophus &c.

VIII. *Quid ante Moſis legem factum?* R. Patres familiarum & regni quandam imaginem geſſerunt, & functi ſunt ſacerdotio: cum homines domeſtico magis quam civili imperio regerentur. Melchiſedechus quoque idem & regnum obiit, & ſacerdotium. qui mos & cæteris gentibus fuit.

IX. *Verum an non patres illi & reges ſacerdotium illud acceperunt ſpeciali quodã titulo?* R. Non omnes, ſed jure paterno ac regio.

ſeclusâ enim lege poſitivâ, ad ſacerdotem conſtituendum nihil tale requiritur.

X. *Quid lex divina poſitiva circa hoc negotium conſtituit?* R. Lege Hebræis datâ non cuivis è populo ſacerdotium delatum: ſed ſolis Aaronidis.

XI. *Cur hoc?* R. Deus non tantum pontificatum ab imperio regio ſegregavit, ſed & ei ſubjecit: ne nimium defixi hærerent animi in ſummâ ſacerdotii dignitate, cum regiâ majeſtate conjunctâ.

XII. *An non tamen poſt inſtitutum ſacerdotium leviticum, aliquæ vetuſtiſſimi moris reliquiæ manſerunt?* A. Nam Paſchatis mactatio patribus familiarum relicta eſt, & Circumciſio non deſideravit ſacerdotis miniſterium; ſed à quovis ejus rei perito fuit adminiſtrata.

XIII. *Præcones N. Teſtamenti an ſpeciatim appellandi ſacerdotes?* R. Chriſtus ipſe & Apoſtoli ſemper ab eo loquendi genere abſtinuerunt.

XIV. *An ſub lege Chriſtianâ ſummum imperium & paſtorale munus recte coaleſcunt in unam perſonam?* N. Quia tam grave ac difficile hoc eſt ut totum hominem deſideret. adeoque vetat Apoſtolus 2. Tim. II. 4. Chriſto militantem negotiis ſeculi implicari. imo alios plane mores officium regis poſtulat, alios paſtoris.

adeo-

adeoque utrumque ab uno homine sustineri nequit commodè, & pro decoro, ac sine desultoriâ levitate.

X V. *Reges tamen dicti sunt pastores, episcopi, sacerdotes, pontifices, &c.* R. Quia scilicet hæc munia in eo conveniunt, quod quæ pastorum cura est unica; ea summarum potestatum sit præcipua, ut scilicet divina recte ordinentur.

XVI. *An regibus recte tribuitur potestas spiritualis, & imperium spirituale?* A. Sumpto nomine non ab agendi modo, sed ab objecto spirituali, religione.

CAP. III.

Quousque conveniant sacra & profana, quoad jus imperandi.

I. *QUomodo actiones internæ & externæ sunt materia humani imperii?* R. Hæ ut materia primaria: illæ ut secundaria; ac tantum propter has, atque cum his comitanter.

II. *Quotuplices sunt actiones, antequam de iis humano imperio aliquid ordinetur?* R. Duplices, moraliter indefinitæ, aut definitæ: & hæ vel debitæ, vel illicitæ.

III. *Quænam definita sunt, respectu sum-*

ma Potestatis? R. Eæ tantum quæ suâpte naturâ sunt debitæ, aut illicitæ; aut quæ tales efficiuntur imperio divino.

IV. *An actus aliqui à summâ Potestate imperari nequeunt?* A. Ji scilicet qui repugnant juri naturali, aut divino positivo.

V. *An evangelium, ministerium, sacramenta subjacent humano imperio?* N. Verbi enim prædicatio & sacramentorum exhibitio prohiberi nequeunt. nec forma ministerio verbi aut sacramenti præscripta mutari. nec nova fidei capita condi; aut novi Dei cultus, novaque sacramenta instituí.

VI. *Nonne tamen aliqui actus imperii circa hæc versantur?* A. Nam summæ Potestatis est efficere ut à Deo imperata fiant còmmodè ac liberè: eique fini amovere impedimenta, & concedere adminicula. utque fiant decenter: adeoque circumstàntias loci, temporis, & modi præscribere. materiam quoque & occasionem subtrahere vetitis: pœnisque propositis homines ad ea adigere quæ Deus jubet, & à vetitis absterrere.

VII. *Quid potest summa Potestas circa actiones à Deo non definitas?* R. Eas definire in alteram partem: non tantum in profanis, sed etiam in sacris.

VIII. *Quanam huc referenda?* R. Munera.

nera utilia instituere: templa exstruere: modum præscribere pastorum electioni, synodis habendis, ordini inter pastores servando, alienationi rerum sacris usibus dicatarum.

I X. *Atqui hoc pacto summæ Potestati competeret suprema gubernatio in ecclesiasticis?* R. Omnino competit: ut & in omnibus aliis. ita tamen ut ei fas non sit quidquam decernere contra fidei ac religionis regulas, à Deo traditas: aut in cæteris contra perpetuam æquitatis normam.

X. *Si verò summa Potestas hos limites excesserit?* R. Nemo obligatur ad magis obediendum homini quam Deo.

X I. *Si igitur eo nomine vis ingruat, an licet vim vi opponere?* N. Sed sola restat patientiæ gloria. soli enim summæ Potestati jus armorum datum est à Deo. idque Christi, Apostolorum, omniumque Christianorum monitis & exemplis probatur.

X I I. *At verò an non potestates inferiores & subordinatæ resistere possunt Potestati summæ?* N. Quia illæ ipsæ huic subjiciuntur; & omne illarum jus ab hujus mandato dependet.

X I I I. *Armorum tamen in reges sumptorum varia sunt exempla.* R. Sed damnanda, si reges fuerint absoluti, & proprio jure imperantes.

XIV. *Si autem adstricti fuerint legibus positivis, & senatus alicujus aut ordinum decretis?* R. In tales arma justa sumi potuerunt, ex sententiâ optimatum & superiorum.

XV. *Si summa Potestas oppugnetur eò quòd veram tueatur religionem, an imperium suum, vitamque & fortunas civium juste defendit?* A. Perinde enim est religionis, an alio obtutu vim ac injuriam patiatur. neque tenetur ad alterius arbitrium religionis usum dimittere.

Cap. IV.

Solvuntur quæ contra summarum Potestatum imperium circa sacra objici solent.

I. AN *non summarum potestatum jus imperii circa sacra diminuitur, eo quod pastorale munus à Christo sit institutum; & ab eodem datæ regulæ: non verò à summis Potestatibus. quodque pastores eatenus non sint imperantium vicarii?* N. Quia & potestas patria ac maritalis imperio summo subjacet: quamvis originem suam & jus à Deo habeat. medici quoque, mercatores, agricolæ, opifices non sunt vicarii summarum Potestatum; nec ab his fluunt il-

illorum functiones: & tamen earum imperio subsunt.

II. *Magistratus verò non est de essentia ecclesiæ?* R. Imo nec de essentia medici, mercatoris, agricolæ, opificis, aut singulorum hominum: quos tamen omnes subditos esse Potestati supereminenti, & ratio docet, & Apostoli auctoritas.

III. *Rex verò est intra ecclesiam, non supra: & ecclesiæ subjicitur Es.* XLIX. 23. R. Hoc loco agitur de honore Christi proprio. ecclesia verò nihil aliud est quam populus fidelis. rex autem verus toto populo superior est, etiam quà fideli. quemadmodum autem pater suæ familiæ imperat, fideli aut infideli: ita religio recta populi de summæ Potestatis jure nihil imminuit.

IV. *An non reges dicuntur servi ecclesiæ?* N. Sed quidem inservire, & utilitatibus ecclesiæ consulere. Saul nunquam dictus est servus Israëlis: sed ipse populus fidelis, & ipsa ecclesia Israelitica servus Saulis. & Sauli servus Abimelec sacerdos: & pontifex Sadocus servus Davidis ac Salomonis.

V. *Sacra tamen pastorum functio circa reges ipsos etiam versatur.* R. Imo & circa eos versantur mercatores, agricolæ, pastores, coqui, vestitores aliique, medicus ægro-

ægroto regi præscribit pharmaca, chirurgus eum secat, philosophus instruit, consiliarius monet, etiam quà regem. hi tamen omnes eorumque functiones subjiciuntur legibus humanis, ac summo imperio.

V I. *Christo tamen soli est imperium, nullius opera vicaria desideranti.* R. Sicut providentia Dei universalis cunctis disponendis & exsequendis sufficit; & tamen ad conservandam hominum societatem, vicariis utitur summis Potestatibus, ideo dictis diis: ita & specialis Christi providentia, pro ecclesiâ excubans, vicarias sibi adsciscit easdem potestates, verę fidei patronas, Christum osculantes.

V I I. *An non è sacra scriptura & historiâ vetere constat ecclesiæ tribui imperium, divino jure concessum?* N. Imperii enim instrumentum est gladius. at ecclesiæ nulla sunt arma carnalia. sed gladius ejus tantum est spiritualis, verbum scilicet Dei.

V I I I. *Quale igitur regimen ei concedendum?* R. Constitutivum tantum, quod est ex consensu: quo definire quædam & constituere potuit, ex communi placito; cui refragari nemo sine culpâ potest.

I X. *An hoc regimen subest regimini imperanti?*

ranti ſummarum Poteſtatum? A. Quia non poteſt quidquam conſtituere aut facere contra imperium ſummarum Poteſtatum. huic enim omnem animam ſubjectam vult Apoſtolus Rom. XIII.

X. *An ſacrorum miniſtris imperium debetur divino jure, ex ipsâ miniſterii inſtitutione & naturâ?* N. Quinimo tale jus quale Poteſtatum eſt omne omnino illis adimitur.

XI. *An ipſis competit imperium coactivum?* N. Nam omnis coactionis uſus ipſis à Paulo interdicitur. adeoque errantem nequeunt vi reducere; ſed tantum perſuadere ut ad rectam fidem revertatur.

XII. *An obligativum?* N. Chriſtus enim ipſe negat ſuum regnum eſſe de hoc mundo; aut ſe judicem conſtitutum. ideoque miniſtri dicuntur legati, nuncii, præcones: utpote quorum munus ſit imperium alterius notum tantum facere; non autem ſuo imperio quemquam obligare.

XIII. *Quale igitur eſt eorum regimen?* R. Merè ſuaſorium ac declarativum.

XIV. *Peccata tamen retinere dicuntur ac remittere.* R. Id nihil aliud eſt quàm retenta aut remiſſa declarare.

XV. *An hoc derogat ſummarum Poteſtatum im-*

imperio circa sacra? N. Quia id tantum in dando consilio consistit, & imperii divini declaratione. sic consiliarius regem regit suadendo, jurisperitus legem declarando, medicus & ecclesiæ pastor utroque modo. hos tamen omnes rex regit suo imperio.

XVI. *Regimen autem quod pastoribus datur ex jure publico, an hoc evertit jus summarum Potestatum?* N. Sed omnino ei subest, quia quantum idest ab earum imperio emanat.

Cap. V.

De judicio summarum Potestatum circa sacra.

I. *Cuinam inter homines competit summum judicium imperativum?* R. Ei cui summum imperium. nemini enim licet ejus leges rescindere, aut sententias retractare, judicio superiore.

II. *Ad quæ extenditur hoc judicium, ex quo & secundum quod imperatur?* R. Ad quæ ipsum imperium, adeoque ad sacra non minùs quàm ad profana.

III. *Nonne vero huic obstat, quod summa Potestas falli possit?* N. Tunc enim omnia judicia essent tollenda, cum in omnibus er-

errare possint omnes homines. quocirca sistendum alicubi; ne progressus detur in infinitum: & errores quidam judicio divino sunt reservandi.

IV. *An non huic repugnat summum Christi judicium?* N. Non magis quàm Christi imperium imperio summarum Potestatum. ut autem privatus privatam, ita princeps publicam potestatem habet, de doctrinâ religionis judicandi, ac decidendi.

V. *An igitur sacra scriptura non est judex?* R. Impropriè quidem. sed propriè loquendo est ipsa judicandi norma.

VI. *An pastoribus ecclesiæ non competit judicium?* A. Sed tantum directivum, declarativum & suasorium. non autem imperativum, quale est summarum Potestatum.

VII. *Ut verò judicium rectè exerceatur, requiritur rerum sacrarum intelligentia.* R. Et hæc, Deo juvante, in summis Potestatibus esse potest sufficiens; quoad scitu necessaria; quæque ad ipsum fidei ac religionis corpus pertinent. cum ea ne quidem denegetur rudibus, ac perpetuo labore victum quærentibus.

VIII. *Pietas quoque requiritur.* At nulla virtus est magis regia.

IX. *Si summæ Potestates de rebus divinis non*

non recte sentiant, aut Deum non recte colant; an rata tamen esse debent imperia earum. de sacris? A. Ea scilicet quæ legi divinæ non adversantur. quamvis enim in patre, marito, rege, sit ignorantia veræ religionis, aut affectus contrarius; jus tamen patrium remanet, ut maritale aut regium. intellectus enim aut animi vitium non reddit imperandi actum irritum. ut enim actus ratus sit, sufficit ut sit in jure agentis.

X. *Pii vero controversias occasione sacrorum inter se ortas, alio quovis modo componendas potius censuerunt; quàm ut earum cognitio deferretur à verâ fide alienis.* R. Tamen ab aliis vocati, judices eos agnoverunt. ac temporum necessitate eo sæpe adducti sunt, ut ipsi judicia eorum imploraverint.

XI. *An ab hoc judicio possunt excludi, qui veræ doctrinæ adsentientes, animi quâdam infirmitate adhuc abstinent à sacramentorum participatione?* N. Et multo minùs quàm à verâ fide alieni. adeoque Constantinus, nondum baptizatus, illud judicium exercuit, episcopis approbantibus.

XII. *Sed summæ Potestates imperitæ sunt omnium inter theologos controversorum.* R: Nec omnes pastores sunt doctoris muneris

neris capaces: quos tamen judicio privare non liceat.

XIII. *Qui reges simul & prophetæ quædam circa sacra jusserunt, an hoc fecerunt quà prophetæ?* N. Sed quà reges, quia omne agendi jus ab imperio regio proficiscitur. adeoque in ejuscemodi factorum narratione semper additum reperies nomen regis, non prophetæ.

XIV. *Prophetæ tamen etiam erant.* R. Ideoque quà tales, certius scire potuerunt imperanda: at quà reges, imperarunt. sic etiam reges Christiani jus habent imperandi, quà reges: peritiam verò, quà Christiani, à Deo edocti.

CAP. VI.

De modo imperii circa sacra recte utendi.

I. *QUid est officium regis in inquisitione eorum quæ credenda aut agenda à Deo definiuntur: & in consultatione super ecclesiæ utilibus?* R. Libenter audire sententias pastorum, pietate, eruditione, prudentiâ insignium.

II.

II. *Quando acquiescendum humanæ auctoritati?* R. Cum neque ex auctoritate divinâ judicii exitus potest reperiri; neque ex principiis rei internis, cumque talia sunt ad quæ indaganda non tenemur.

III. *Quando acquiescendum auctoritati divinæ, per homines revelatæ?* R. Si constet eum qui proponit nec falli posse, nec fallere: idque ex patefactione divinâ, aut aliis indubitatæ veritatis signis.

IV. *An post Apostolos divinum aliquod exstat oraculum, ad cujus præscriptum dirigi debeat regum pariter ac privatorum judicium?* N. Quia nullus est homo qui falli nequeat, nullaque hominum congregatio.

V. *An in causâ fidei salutaris, tuto quis acquiescit alieno judicio declarativo?* N. Quia fides non est fides, nisi in divinâ acquiescat auctoritate. res enim fidei planè & apertè sunt omnibus propositæ.

VI. *Si judicium sit suasorium?* R. Cum circa ea versetur quæ lege divinâ definita non sunt; aliquid ei tribuendum. sed non nimium.

VII. *Si consiliantium sententiæ discrepent, quid faciendum summæ Potestati?* R. Judicium suum interponere debet; sententiasque potiùs ponderare, quàm numerare.

VIII. *An summarum Potestatum in his igno-*

ignorantia est excusabilis? A. In quibusdam. in scientiâ scilicet juris privati, medicinâ, mercaturâ, &c.

IX. *An licet illis negligere cognitionem regenda ecclesiæ?* N. Quia hoc uno nihil est præstantius: & nibil majoris momenti ad reipublicæ incolumitatem. imo hanc negligentes, ab hominibus circumventi, à Deo puniti, regno excidêre: aut regio nomine retento, facti sunt alienæ libidinis mancipia.

X. *Cum Israëlitæ jubentur facere juxta verbum Judicii, quod ipsis annunciabunt sacerdotes. Deut.* XVII. 8. *an eo probatur regibus omnino sequenda esse judicia pastorum?* N. Lex enim ea non affatur regem, sed judices minores. eosque mittit ad consulendum senatum, si quid in lege minus intelligant. in quo senatu & sacerdotes erant, & summi judices alii, omnes jurisconsultissimi.

XI. *Horum vero auctoritati an non alligantur judicia?* N. Sed legi, per ipsos explicandæ. sic hodie reges præcipiunt judicibus, ne judicent contra ea quæ jurisconsulti ipsis ostendunt esse juri congrua.

XII. *In ecclesiâ vero judaicâ imperatores ac reges consulere solebant Urim.* R. Id faciebant ii tantum qui erant cum imperio. ac tan-

tantum poſcebant eventus bellicos, quos lætos futuros prædicebat fulgor pectoralis.

XIII. *Hoc autem Urim in ſacerdotum pectorali erat.* R. Non tamen conſulebantur ſacerdotes; ſed oraculum divinum. nec reſpondebant ſacerdotes; ſed ipſe Deus.

XIV. *Summo tamen ſacerdoti adſtabant.* R. Oraculo ſcilicet honorem exhibentes; non pontifici. pontifices autem ipſi ſtare coram rege ſolebant, venerationis cauſsâ.

XV. *An non tamen hoc multum facit pro paſtorum auctoritate?* N. Quique paſtores hoc pro ſe citant, impudenter ſuſpectos ſe reddunt affectati civilis imperii. nulla enim acies educi poſſet, niſi ex eorum præſcripto.

XVI. *Quænam altera generalis admonitio eſt, pertinens ad modum juris exercendi?* R. Imperanti circa ſacra imprimis habendam rationem concordiæ eccleſiaſticæ.

XVII. *Quid eo conducet?* R. Si quantum fieri poteſt, abſtineatur à definiendo: ſalvis dogmatibus ad ſalutem neceſſariis, aut valde eò facientibus.

XVIII. *Quid notandum circa dogmata definienda?* R. Ut ſint pauciſſima. & ne-

cessaria quidem sub anathemate, alia sine eo. utque definitiones illæ fiant in conciliis æcumenicis. aut à minoribus synodis factæ, non sint ratæ; nisi ab aliis ecclesiis quoque approbentur.

XIX. *An idem dicendum de faciendis?* A. Si lex divina omnino facienda præscribat.

XX. *Quid faciendum respectu populi?* R. Opera danda est in utroque genere, ut populus, aut pars ejus maxima intelligat, ea quæ imperantur divinæ legi esse consentanea: adeoque commonefaciendus est, docendus, persuadendus.

XXI. *Quomodo servanda concordia in regimine & in ritibus?* R. Si materia sit recens ac ductilis, nihil tutius quàm ea restituere quæ magno populorum consensu, magnoque fructu observata apparet primis post apostolos seculis. aliquâ tamen temporum & locorum habitâ ratione.

XXII. *Si quid ævo radices egerit, non quidem optimum, attamen tolerabile.* R. Prudentiæ est id non mutare, nisi bellâ occasione, multoque assensu. imperia autem affectibus subditorum nonnihil attemperanda.

XXIII. *An quoque summis Potestatibus*

 uten-

utendum aliorum ministerio? A. Ac proinde singularia negotia rejicienda sunt ad cætus, gradibus quibusdam constitutos. ne mole sua obruant imperantium animos. ubi si finem accipere nequierint, tum demum ad ipsarum arbitrium referantur.

XXIV. *An hæc perpetua sunt, & semper utilia?* N. Nam tempora, loca, homines plurimum immutant.

XXV. *Si itaque res sit certissima?* R. Consilium petere non expedit.

XXVI. *Si diffidia flagrent?* R. Subitò non speranda consensio.

XXVII. *Si periculum immineat ex cunctatione, aut suspecta sit fides inferiorum subselliorum?* R. Per gradus iri non potest.

XXVIII. *In rebus itaque communiter accidentibus quid prudentiæ est?* R. Agere secundum ordinem & leges positivas.

XXIX. *Si aliquibus ordo aptari nequeat?* R. Potestas summa debet agere extra ordinem.

XXX. *At vero an eo casu non ageret extra id quod facere ipsi jus fuit?* N. Jus enim summæ Potestatis non limitatur per leges positivas. quia limitare jus alicujus tantum potest superior: qui hic non datur.

Cap.

Cap. VII.

De Synodis.

I. Quid est Synodus? R. communis actionis gratiâ conventus institutus, ex solis pastoribus, aut ex illis præcipuè.

II. *An synodi habendæ præceptum exstat in lege divinâ?* N. Neque in veteri, neque in novo fœdere.

III. *Unde igitur earum origo?* R. Ex jure naturæ permissivo. estque Synodi conventus in numero earum rerum, quæ jure naturæ permissæ, legibus humanis solent præcipi, permitti, aut prohiberi.

IV. *Cujus est eas præcipere aut prohibere?* R. Summæ Potestatis. nam quod imperatores pagani susque deque habuerunt: id Christiani ad suam curam atque arbitrium jure merito revocarunt. aliasque ordinarias haberi voluerunt, alias extra ordinem.

V. *An summæ Potestati licet aliquid imperare absque synodo?* A. Quia summa non esset, si jus aliquid imperandi à synodo acciperet.

VI. *An aliquid rectè imperat absque synodo?* A. Probaturque exemplis regum

Hebræorum, Christianorum imperatorum, regumque & aliarum potestatum.

VII. *An caussæ subesse possunt, cur synodus omittatur?* A. Quando scilicet non est necessaria, vel quando apparet inutilem futuram.

VIII. *Qui sunt synodi fines in ecclesiâ publicâ?* R. Ut judicio directivo Principi præbeant consilium, ad veritatis ac pietatis amplificationem. ut per eam stabiliatur ecclesiæ consensio. ut ex jure per legem civilem adventitio, de controversiis cognoscatur, sequente coactione.

IX. *An hi fines sunt necessarii?* N. Nec quoque synodus ad hos fines est necessaria simpliciter.

X. *An non ad consilium sufficiens habendum?* R. Non absolute in iis quæ lumine naturali aut supernaturali patent.

XI. *An non ad consensum ecclesiæ explorandum, aut constituendum?* N. Sæpe enim frustra de eo laboratur.

XII. *Quando?* R. Cum ecclesia scissa est in duas sententias, æquatis partium studiis. cum absque eâ consensus iste cognosci potest. cum caussa tractanda non requirit aliarum consensum.

XIII. *An non ut coactio sequatur?* N.

Hoc

Hoc enim omnino ſubeſt ſummæ Poteſtatis arbitrio. cum ab eâ emanet.

XIV. *Quibus porro de cauſis ſynodi poſſunt eſſe inutiles ac noxii?* R. Si judicii integritas vehementibus præjudiciis impediatur. ſi factionibus ita cuncta agantur, ut ſynodus alimentum potius diſſenſui, quam conſenſui teſtimonium præbitura ſit. ſæpe differenda eſt in præſens nocitura. ſæpe malum præſens moram ſynodi non exſpectat. ſæpe magni conventus ſuſpecti ſunt ſummæ Poteſtati.

XV. *Cum eccleſiæ tutelam in ſe recipiunt ſummæ Poteſtates, an his invitis ſynodi poſſunt haberi?* N. Generales enim congregationes inſtituere non licet, ſine cognitione & auctoritate eorum qui præfecti ſunt ordini humano.

XVI. *An eccleſiæ aut paſtoribus licet eos eligere qui ad ſynodos ſunt ituri?* A. In his ſcilicet quæ eccleſiam tangunt, & quæ paſtoralis ſunt muneris. quia nulla lege, nulloque pacto humano intercedente, nulla alia perſonas determinandi ratio poteſt inveniri. ſed talis electionis ab eccleſia factæ nullum eſt exemplum.

XVII. *An ſummæ Poteſtati licet deſignare venturos ad ſynodum?* A. Id enim nullo jure vetitum eſt. imo ad legislatoris auctoritatem pertinet generale concilium

convocare, ac personas idoneas determinare.

XVIII. *Quid si ecclesia aut episcopi eligant communi nomine mittendos?* R. Summæ tamen Potestati salvum manet jus imperii in eam electionem. quo rejiciantur turbulenti, aut alioquin inidonei.

XIX. *An summæ Potestati jus est in synodo judicandi juxta pastores?* A. Hoc enim ipsi auferri nequit per synodum.

XX. *An consultum est ut summa Potestas sensus suos exprimat in synodo?* R. Utile est ut præsentia sua conventum cohonestet. ordinet ac moderetur actionem. sentiendi quærat caussas. commoda atque incommoda proponat. suam vero sententiam sibi reservet.

XXI. *Si summa Potestas adesse nequeat?* R. Alios suo nomine mittat. aut tantum ordinis præsides, aut cum mandato judicandi simul cum pastoribus.

XXII. *An summæ Potestati competit epicrisis, post synodum?* A. Sive detur consilium agendorum. sive dogma aliquod explicetur, aut lex divina. sive aliquid constituatur pertinens ad regimen, lege non definitum.

XXIII. *An tantum competit jus approbandi?* N. Sed & examinandi, de-

men-

mendi, addendi, corrigendi. hæc enim in ipſo approbandi jure neceſſario continentur.

XXIV. *Si verò ſynodus judicium aliquod inſuper, vi legis humanæ exercuit?* R. Hic multo magis judicium ſuum reſtat ſummæ Poteſtati. omnis enim jurisdictio ut ab ipſa fluit, ita ad ipſam refluit.

XXV. *Quis eſt modus exercendi judicii imperativi?* R. Summa Poteſtas id modo totum per ſe exercet, modo partim per alios.

XXVI. *Jus ſummæ Poteſtatis poſt ſynodum aliquid decernendi, etiam contra ſynodum, an hoc tantum trahi debet ad eas controverſias in quibus veluti de totâ religione agitur?* N. Sed libera epicriſis ei non minus tribuenda eſt in quæſtionibus ſingulis, quam in pluribus coacervatis. quod enim jus ei eſt in toto, idem & eſt in partibus. nam & in ſingulis quæſtionibus labi ſynodus poteſt. nec debet ſumma Poteſtas cæcum obſequium ſynodo præſtare, aut fovere ſuo imperio dogma falſum ac noxium. nec pati ut opprimatur veritas. nec prudentia id ſinit, ut permittat ſumma Poteſtas errores paullatim creſcere, ut tandem ſcilicet in magnam molem aucti, evelli non poſſint ſine totius reipub. periculo.

Cap. VIII.

De legislatione circa sacra.

I. *AN summæ Potestati competit legislatio circa totum corpus religionis?* A. Est enim hoc inter jura majestatis præcipuum, adeoque in ejus arbitrio est, quænam religio publice exerceatur.

II. *An non eo status religionis fit mutabilis?* R. Quamvis mutato regis animo, religio possit mutari: tamen jus hoc ei denegandum non est, ob periculum eodem abutendi. nam alioqui nullum cuiquam jus salvum erit.

III. *Quid si à summâ Potestate jus hoc transferatur?* R. Id fieri non potest, neque eò minùs vitaretur periculum, quia ab hominibus iretur ad homines: qui omnes falli possunt.

IV. *Si igitur mutationis sit periculum?* R. Unicum hic solatium in divinâ est providentiâ.

V. *An subditis vi licet arripere publicæ religionis usum?* N. Nec Christiani veteres hoc unquam fecere.

VI. *Cujus est falsas tollere religiones?* R. Solius summæ Potestatis, aut si cui

illa

illa id officii delegavit.

V II. *Si aliqui dent operam prava superstitioni, aut errori publicè periculoso; aut unitati protervè mittant repudium?* R. Cohiberi debent ab imperio summo.

VIII. *An falsæ religiones semper sunt puniendæ?* N. Sæpè eæ dissimulatæ sunt sub imperatoribus piis. sæpè leges lætæ quibus diffidentium cætus ordinarentur.

IX. *An summæ Potestati competit legislatio circa partes religionis?* A. Cui enim jus est in totum, ei quoque competit in partes.

X. *Quænam huc sunt referenda?* R. Cavendo schismati, quæstiones præcidere inutiles. prohibere divulgationem libellorum, sine judicum approbatione. habere curam vitæ clericorum. ætatem pastorum definire. jejunia ac dies supplices indicere. preces & vota publica pro quibus, & quo ordine, facienda sint decernere. aliasque leges ferre circa canones, & ea quæ non definiuntur lege divinâ.

XI. *An jure divino competit ecclesiæ legislativa potestas?* N. Adeoque ante imperatores Christianos ecclesiarum statuta dicebantur canones, non leges. habentque tunc vim consilii, aut obligationis per modum pacti.

XII. *An lege humanâ concedi potest?* A. Quia & aliis cætibus conceditur. nec obstat jus divinum.

XIII. *An tunc conceditur privativè?* N. Sed tantum cumulativè. summa enim Potestas alteri communicare potest jus legum ferendarum: sed non à se abdicare.

XIV. *An dependenter ac subordinatè?* A. Ita ut leges à tali cætu datas rescindere possit aut corrigere. quia in unâ republicâ esse non possunt duo legislatores æque summi.

XV. *Quanta est regum potestas circa canones?* R. Ob potestatem cælitus iis datam, nec legibus, nec canonibus subjiciuntur. quin competit ipsis dispensatio circa canones, eorumque rescissio & emendatio: etiam apostolicorum. ut & epieikeia circa leges quasdam divinas.

XVI. *Reges tamen se canonibus devinctos esse aliquando affirmarunt?* R. Hæc non tollunt jus: sed tantum indicant voluntatem.

Cap. IX.

De jurisdictione circa sacra.

I. *Cui competit jurisdictio, sive judicium imperativum circa sacra?* R. Summæ Poteſtati. quia competit ei ſumma legatio. & quia non fruſtra gerit gladium; ſed vindex eſt in omnes male agentes. Rom. XIII.

II. *An naturaliter ulla jurisdictio competit paſtoribus?* N. Quia tota eorum functio nihil tale ſuapte natura includit.

III. *An jure poſitivo?* A. Apud quoſdam populos.

IV. *An lege evangelicâ?* N. Chriſtus enim nullum dominatum ſive imperium illis conceſſit.

V. *An non Apoſtoli jurisdictionem exercuerunt?* N. Sed Deus aliquando jurisdictionem exercebat, quamdiu terrenæ poteſtates jus puniendi, ſibi conceſſum non exercebant. poſtquam vero imperatores patrocinium eccleſiæ ſuſceperunt, divina illa pænarum genera conquieverunt.

VI. *An non ipſi Apoſtoli peccantes puniebant, etiam morte?* N. Sed ipſe Deus, ad-

eorum imprecationem. ut ad eorum preces ſanabat ægrotos.

V I I. *An uſus clavium non eſt ſpecies jurisdictionis?* N. Sed tantum quædam effigies.

V I I I. *Paſtores tamen dicuntur ſolvere & ligare, itemque retinere aut remittere peccata.* R. Hoc eſt oſtendere tantùm homines à Deo eſſe ſolutos aut ligatos: eorumque peccata retenta aut remiſſa.

I X. *An præſcriptio operum pænitentiæ pertinet ad jurisdictionem?* N. Sed ad legis annunciationem, aut ad conſilium.

X. *An Sacramentorum non exhibitio?* N. Ea enim exhibens, aut non exhibens, tantum exercet actum miniſterialem; non jurisdictionis.

X I. *An eccleſia non exercet jurisdictionem, cum paſtorem deponit, aut fratrem excommunicat?* N. Sed tantum actum privatum: magiſterio ejus aut paſtoratu amplius uti nolens, aut ſe ſubtrahens alicujus communioni aut conſortio.

X I I. *An paſtoribus aliqua pars jurisdictionis eſt conceſſa, poſtquam imperatores Chriſtianiſmum amplexi ſunt?* A. Eaque major vel minor, prout imperatoribus conſultum videbatur: ita tamen ut omnis ea jurisdictio emanârit à ſummâ Poteſtate.

XIII. *An usus clavium locum habet circa regem?* A. Imo eò magis circa ipsum est necessarius, quo majore contagii periculo ab ipso peccatur.

XIV. *Quid dicendum de concionibus tribunitiis, quibus acerbè traducuntur summarum Potestatum facta, quæ aut interpretationis ambiguæ sunt, aut parum nota?* R. Evangelio faciunt injuriam quicunque talibus obtendunt nomen clavium, nam usus clavium & evangelii prædicatio multum distant, impium autem est suggestum vertere in scenam, & dulcissimam evangelii vocem in comædiam veterem. Deus enim summarum Potestatum & magistratuum vitam salvam esse vult, & famam sacrosanctam, suæque legis edicto tanquam asylo munitam, dicens: principi populi ne maledicito. Exod. XXII.

XV. *Prophetæ tamen divinitus inspirati non semper observarunt hanc regulam.* R. Deus per Prophetas & alios multa fecit aliis non concessa: eos ad mandata specialia explenda legum vinculis exsolvens: quod exemplum aliis non licuit imitari: ut nec ipsis sacerdotibus, quorum munus erat ordinarium.

XVI. *An ulla coactio in summam Potestatem est licita?* N. Quia omne jus cogen-

gendi ut ab illa est, ita nullum est in illam.

XVII. *An circa summum imperantem usurpari possunt actus merè canonici, venientes à lege humanâ?* N. Si obstet, aut vetet. cum omne regimen & jurisdictio subsit summo imperio, & hæc ab eo etiam emanet.

XVIII. *Reges tamen an non in sacris se subjicere possunt pastoribus, tanquam judicibus publicis?* A. Sed ea subjectio nihil de summo imperio imminuit. cum pendeat ex regis voluntate, eâque revocabili.

XIX. *An expedit ut rex hanc jurisdictionem exerceri patiatur?* N. Respublica enim non stat sine regis auctoritate. huic autem ignominia adversatur.

XX. *An summæ Potestatis jurisdictio extenditur ad eas actiones quæ exercentur solo libertatis jure, & divinæ legis obtentu?* A. Quia per has aliis quoque fieri potest injuria. omnes autem actiones morales externæ ad summæ Potestatis judicium vocantur.

XXI. *An ad eas quibus obtenduntur canones?* A. Nam & canonum prætextu, canones sæpè violantur. & sæpè iidem à legis divinæ præscripto exorbitant.

XXII. *An & eas quæ ex lege humanâ fluunt, & obligant invitos, & coactionem post-*

se-

se trahunt? A. Jurisdictio enim omnis à summâ Potestate fluit, & ad eandem refluit.

XXIII. *Quid statuendum de appellationibus ecclesiasticis?* R. Omnes gradus provocandi pendent ab arbitrio summæ Potestatis.

XXIV. *Quomodo suprema cognitio potest exerceri?* R. Per consuetas synodos.

XXV. *Si ab harum sententia provocetur?* R. Per indictitium quendam conventum, vel ipse imperans cognoscat de priorum judicum religione & æquitate.

XXVI. *Si synodus aliqua probabilibus de caussis recusetur?* R. Ipsa summa Potestas caussam ad se evocet: & pronunciet quod æquissimum est, intellectis insignium theologorum sententiis.

XXVII. *Quid dicendum de jure summarum Potestatum circa pœnas?* R. Penes eas esse potestatem ignoscendi, ac dispensandi à pœnis canonicis & legalibus.

XXVIII. *An summæ Potestatis est cognoscere an quis recte excommunicetur?* A. Ejus enim est & à singulis arcere injuriam, & ab ecclesiâ tyrannidem.

CAP. X.

De pastorum electione.

I. QUæ *sunt perpetuæ functiones in ecclesia?* R. Presbyterorum ac diaconorum.

II. *Quos vocas presbyteros?* R. Eos qui ecclesiam pascunt prædicatione verbi, sacramentis & clavibus.

III. *Quos diaconos?* R. Qui presbyteris aliquâ ex parte inserviunt. præcipuè in laboriosâ pauperum curâ.

IV. *An aliquid est in functione diaconi, quod à functione presbyteri sit exceptum?* N. Presbyteris enim illi dati sunt rerum minorum adjutores.

V. *Quænam sunt distinctè consideranda in constitutione presbyterorum, sive pastorum?* R. Mandatum, ordinatio, electio, confirmatio,

VI. *Quid est mandatum?* R. Ipsa facultas prædicandi, sacramentaque & claves administrandi.

VII. *Quid ordinatio?* R. Applicatio hujus facultatis ad certam personam.

VIII. *Quid electio?* R. Applicatio hujus personæ ad certum cætum & locum.

IX. *Quid*

IX. *Quid confirmatio?* R. Qua certa aliqua persona in certo loco ministerium suum exercet, publico præsidio, ac publicâ auctoritate.

X. *A quibus hæc dependent?* R. Muneris institutio est à Deo. ordinatio fit à pastoribus. confirmatio publica pendet à summâ Potestate.

XI. *An electio fieri potest ab ecclesiâ?* A. Quamdiu jure divino aut humano certa ratio non præscribitur.

XII. *An jus eligendi competit ecclesiæ immutabiliter?* N. Id enim nec ex jure naturali, nec ex divino positivo probari potest.

XIII. *Quomodo fiebat electio tempore apostolorum?* R. Ab ipso Christo, & apostolis per divinam revelationem; aut ab iis quos Apostoli formandis ecclesiis præfecerant.

XIV. *An Matthias electus à populo?* N. Sed ab Apostolis constituti sunt duo, è quibus Deus unum elegit per sortem.

XV. *At ipsi populo præcipitur, vitare falsos pastores.* R. Non tamen eligere.

XVI. *Antequam tamen electio consequatur exitum, singulis de populo datur potestas allegandi caussas, si quas habeant, ob quas propositus non deberet eligi?* R. Hoc toto cælo differt à potestate eligendi.

XVII.

XVII. *Post ætatem apostolorum, an plebs elegit suos pastores?* R. Aliquando. sed sæpè abstinuit ab electione, ob incommoda suffragii popularis.

XVIII. *An summæ Potestati competit electio?* A. Quia nulla lex divina prohibet. & quia actus omnes, aliis etiam naturaliter competentes, exercentur à summâ Potestate: dum caussas ex naturâ definitas non habent.

XIX. *Quas ob caussas summa Potestas sibi vindicare debet electionem?* R. Si errores in ecclesiam contra Dei verbum invecti aliter evelli nequeant. si non sit alia ratio cavendi schismata. si cleri suffragia factionibus turbentur; & electio popularis seditionibus. si ea sint tempora ut ne regnum quidem possit retineri, nisi rex curet ut fidissimos sibi & obsequentissimos habeat pastores.

XX. *Quid factum ante legem Mosis, & postea extra Judæam?* R. Reges ipsi functi sunt sacerdotio. adeoque & mandare aliis potuerunt.

XXI. *Quid sub lege Mosis, in populo Hebræo?* R. Sacerdotali officio nemo potuit adhiberi, nisi qui esset è gente Aaronicâ. nec ministerio templi, nisi qui levita.

XXII. *Cujus juris erat assignare functiones*

nes

nes alias, & functionum loca, & certas personas applicare ad certa munera? R. Regii.

XXIII. *Quid factum apud Christianos ante Constantinum?* R. Non eligebant imperatores. cum essent ecclesiæ inimici, aut eam haberent contemptui.

XXIV. *Quid sub Constantino?* R. Hic vim legis tribuit canoni Nicæno, de electione per episcopos facienda. quod & postea fecerunt alii imperatores.

XXV. *An ipsi non poterant electionem exercere?* A. Quia summæ Potestati licuit à canone recedere, itemque abrogare & temperare leges quos ipsa fecerat.

XXVI. *An exercuerunt?* A. Theodosius scilicet, aliique: etiam imperatores Orientis, & reges Germanorum, Francorum, Hispanorum, Hungarorum, Scotorum, Anglorum &c.

XXVII. *Quid de his ecclesiæ sentiunt reformatæ?* R. Harum doctrina non spoliat Potestates divino hoc jure.

XXVIII. *At vero reges & principes abuti possunt, & abusi sunt electionibus, per sordes aut gratiam.* R. Neque clerus expers est gratiæ & factionum. nec electio popularis semper sine seditionibus. jus autem regi abutenti ne quidem aufertur;

tur; multo minùs ideo quòd abuti pos-sit.

XXIX. *Quod si reges à fide sint alieni?* R. Christianis non convenit ut pastores alioquin idoneos eo solùm nomine repudiant, quod ab infidelibus regibus commendentur.

XXX. *Quis est optimus eligendi modus?* R. Nihil hic perpetuum præscribi potest. quanquam enim omnia rectè sint circumspecta, nihil est quod incommodo careat.

XXXI. *Si plebi vel clero concedatur electio, quid faciendum summæ Potestati?* R. Reservet sibi arbitrium, electionem factam approbandi aut improbandi: ne quid ab electoribus erretur in perniciem reipublicæ aut ecclesiæ. hoc enim jus à se abdicare tuto non potest.

XXXII. *Hoc arbitrium estne idem cum eo consensu quo civitatis alicujus Magistratus ad electionem concurrit juxta clerum, aut cum populo?* N. Arbitrium enim illud est supra ipsam electionem; hic autem consensus est electionis pars. illud summis Potestatibus competit eo ipso quo sunt summæ Potestates; hoc Magistratibus ex lege positivâ: neque quatenus sunt magistratus; sed qua pars civitatis honorata.

XXXIII.

XXXIII. *Penes quos est jus removendi certum pastorem à certi loci ministerio?* R. Id semper esse debet penes summam Potestatem. quamvis & aliis quandoque concedatur.

XXXIV. *At verò nonne ejus tantum est removere, cujus est eligere?* N. Summa enim Potestas non solum interdicere potest actibus publicis: sed & privatis, ad quos ipsas personas non eligit: puta negotiatione, conductione &c.

XXXV. *An remotio tantum fieri poterit per modum pœnæ?* N. Sed etiam per modum cautionis. puta si quis pastor à plebe rapiatur in materiam tumultus: quod forte etiam sine crimine ipsius accidere poterit.

Cap. XI.

De muneribus in ecclesia non necessariis.

I. S*I ritus aut regiminis modus differat, an sequitur inde ecclesiarum divulsio?* N. Quamdiu pars neutra divini præcepti auctoritatem adscribit mo-

mori ſuo, morem alium temere damnans.

II. *Quibus in rebus incumbit ſummæ Poteſtati neceſſitas exſecutionis?* R. In his quæ præcepto divino ſunt definita.

III. *Quid de cæteris dicendum?* R. In illis eſt aliqua eligendi libertas.

IV. *Quid propriè eſt Epiſcopus?* R. Vox ea notat quemlibet præpoſitum, inſpectorem, ſupra attendentem.

V. *An epiſcopatus, ſive unius paſtoris inter cæteros eminentia repugnat juri divino?* N. Nec profecto tota vetus eccleſia temere damnanda eſt ſtultitiæ aut impietatis. Chriſtus enim ipſe conſtituit munerum eccleſiaſticorum diſparitatem. & LXX. evangeliſtas ſecundi ordinis, & minoris gradus ac dignitatis. deditque alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios paſtores ac doctores: non functionibus tantum, ſed & gradibus quibuſdam diſtinctos.

VI. *Dictum tamen, quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit primus eſſe, ſit miniſter.* R. Hic non interdicitur omnis eminentia, aut primatus inter paſtores: ſed monentur paſtores omnes, ut ſciant injunctum ſibi miniſterium; non autem datum imperium.

VII.

VII. *An ab ecclesiâ universali receptus est episcopatus?* A. Idque probant concilia universalia, & synodi nationales ac provinciales, & patres omnes.

VIII. *A quibus temporibus habuit initium?* R. Ab apostolicis. quod episcoporum catalogi, apud Irenæum, Eusebium aliosque testantur.

IX. *An jure divino est approbatus?* A. Christus enim ipse scribi jubet septem ecclesiarum asiaticarum angelis, id est iis qui ecclesiis erant præpositi, præsidentes, episcopi.

X. *Cui fini episcopatus est institutus?* R. Ad tollenda schismata ac dissidia.

XI. *An episcopalis eminentia est præcepti divini?* N. Quia Christus non præcepit: quamvis in apocalypsi approbârit. nec præceperunt Apostoli, ut in quâque ecclesiâ tales essent episcopi: quamvis in quibusdam ecclesiis ordinaverint & approbaverint.

XII. *An uni civitati unus tantum præfuit episcopus?* R. Id universaliter non fuit observatum.

XIII. *Quæ sunt caussæ, cur hoc seculo episcopatus sit omissus in locis nonnullis?* R. Penuria virorum qui tam gravi muneri sufficerent. episcopalis muneris inveterata depravatio. in magistris veritatis stu-

dium

dium amoliendi ſuſpicionem ambitionis. forma imperii ariſtocratica, cui tale regimen eccleſiaſticum non convenit.

X I V. *Quid dicendum de presbyteris temporariis, qui paſtoribus adjuncti è populo, neque prædicant evangelium, neque ſacramenta exhibent?* R. Apoſtolicæ & veteri eccleſiæ tales fuiſſe ignotos. & presbyterorum nomine nonalios quam paſtores vocatos, in verbo & ſacramentis occupatos.

X V. *An ii ſunt ex divino præcepto?* N. Eccleſiæ enim omnes iis non gaudentes, eſſent danmandæ, tamquam divini mandati contemptrices. quod eſſet temerarium.

X V I. *Cum Chriſtus dicat; ſi frater peccans nec te, nec tecum alios pauciores audierit, dic eccleſiæ &c. an non hic intelligi debet ſynedrium aliquod conſtans ex eccleſiaſticis & civibus aliis?* N. Nam hic intelligi poteſt cætus paſtorum, & non paſtorum, ſine illis aſſeſſoribus.

X V I I. *An non apoſtolus indicat duplex genus eſſe presbyterorum, cum dicit; duplici honore eſſe honorandos presbyteros, eos maxime qui laborant in ſermone ac doctrinâ?* N. Sed vult omnibus paſtoribus deberi ſtipendia, ut qui gregem dominicum paſcant. ſed illis præcipuè qui, omni curâ rei fami-

miliaris neglectâ, uni ſtudio evangelii propagandi incumberent, idque cum ingenti labore.

X VIII. *An tale munus aſſeſſorum licite inſtituitur à ſummâ Poteſtate?* A. Ei enim, ut utriuſque tabulæ cuſtodi, competit ſumma inſpectio in omnes paſtorum actiones. cum igitur cuncta non poſſit per ſe exſequi, licet ei ſuo nomine delegare qui presbyteriis interſint: cum eo jure quod ſumma Poteſtas de ſuo ipſis vult communicare.

X I X. *An è ſacris litteris probatur, talem inſtitutionem Deo non diſplicere?* A. Quia non diſplicuit inſtitutio ſynedrii Judaici, in quo cum ſacerdotibus adſidebant è populo delecti, ſacris & civilibus negotiis præpoſiti.

X X. *An etiam licite inſtituitur ab eccleſia?* A. Quando ſcilicet ſumma Poteſtas non curat eccleſiam: aut hoc jus eccleſiæ concedit. ſic eccleſia Corinthiaca, etiám ſine auctoritate apoſtolicâ, conſtituit controverſiarum diſceptatores. ſynodis quoque interfuere laici, ac ſententiam dixere.

X X I. *An ſummis Poteſtatibus expedit eſſe tales adſeſſores?* A. Ut hi in paſtorum conſeſſibus ſint illarum oculi & aures, quorum miniſterio explorent, an cun-

C cta

cta satis ex fide & præscripto agantur.

XXII. *An expedit ecclesiæ?* A. Ut optimè de pastoribus sentiat: habens nimirum in eorum actionibus testes & internuncios.

XXIII. *An non tamen ex horum institutione aliquod malum accidere potest reipublicæ?* A. Si tales sint inidonei. si sibi sumant jurisdictionem publicis legibus non concessam. si sibi persuadeant hoc munus non subjacere summarum Potestatum imperio.

CAP. XII.

De substitutione & delegatione circa sacra.

I. AN *necesse est ut summa Potestas vicariâ aliorum operâ utatur?* A. Ut omnibus explicandis par sit, cum vis ejus per varias & maximas res diffundatur.

II. *Quænam separari nequeunt à jure summæ Potestatis?* R. Jus emendandi leges, etiam ab aliis latas. jus rescindendi iniquè judicata. jus irritas faciendi electiones, quæ sunt contra utilitatem reipublicæ aut ecclesiæ.

III. *Quænam non expedit alteri communicare, ob suam magnitudinem?* R. Religionis arbitrium, & maximorum pasto-

rum

rum electio ac depositio.

IV. *An arbitrium religionis concedi potest subditis?* A. Sive principibus, sive universitatibus, si temporum necessitas exigat.

V. *Quot sunt modi mandandi juris?* R. Duo, substitutio, sive mandatum, lege aut privilegio datum, & delegatio, data concessu speciali.

VI. *Quinam possunt substitui?* R. Aut soli pastores, sive episcopi. aut pastores cum piis ac eruditis laicis. aut potestates minores, seorsim à pastoribus. estque hoc quod dicitur jus patronatus.

VII. *An hoc jus nititur jure papali?* N. Sed ex imperatorum & regum constitutione & concessione traxit originem.

VIII. *An non ab hoc jure metuenda labes ecclesiæ?* R. Non magis à nobilibus patronis, quam à rusticis senioribus.

IX. *Quomodo labes cavenda?* R. Si summa Potestas sibi reservet jus factam à patronis electionem, justis de caussis rescindendi. si jus hoc omne legum imperiis subjiciatur, non minùs quàm cætera privatorum propria. si plebis exploratio accedat, & pastoralis ordinatio.

X. *An jure divino, inferioribus Potestatibus competit aliquod in sacra imperium?* N. Quidquid enim habent, id habent ut à rege missi.

XI.

XI. *An id magistratibus concedendum?* A. Sed quàm minimum. nec nisi proximis fastigio suo potestatibus. cum ecclesiæ tutela sit præcipua pars summi imperii.

XII. *An ecclesiæ inspectio temerè est concedenda iis qui in ecclesia censu non sunt?* N. Indignum enim est & pudoris plenum, ipsa ecclesiæ vulnera aliis potius quàm ecclesiæ filiis curanda committi.

Index Capitum.

MC